

capite Christo unio representatur.

Ad II. negatur pariter antecedens; & ratio est, quia exemplum Christi habemus, si non ex Scripturis, saltem ex traditione; unde Cyprianus in citata Epist. ad Cæcilium dicit; *Sic autem in sanctificando Calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest.*

Ad III. dicimus, ad fidem non pertinere, nec necessitatem aquæ, nec ejusdem mixtionem cum vino. Ad fidem tantum spectat, quod definitur in Concilio Tridentino can. 9. scilicet anathema dicitur iis, qui negant aquam vino in Calice offerendo esse miscendam, eo quod sit contra Christi institutionem. Ad quæ subdit Tournely citato loco. „ Neque obstat quod idem Concilium eadem sess. cap. 7. dicat præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam misceant, atque credi Christum Dominum ita fecisse. Namque 1. ea tantum pro definitis de fide a Concilio Tridentino habenda sunt, quæ sunt canonibus expressa, & sancta, non quæ in capitibus præmittuntur ad Canonum subsequendum intelligentiam, & probationem. 2. Quia dicere quis posset, Concilium ita præceptum Ecclesiæ designasse, ut tamen divinum noluerit excludere; imo ecclesiasticum expressisse, tanquam executionem divini. 3. Quia solemne fuit Patribus Tridentinis, nullam Scholæ Catholicæ opinionem configere; at non defunt, qui mixtionem aquæ jure, & præcepto divino, necessariam esse, contendunt; Verbum enim creditur, quo utitur Concilium, non pro fide supernaturali, & theologica hic usurpatur, quasi vellet esse de fide, Christum vino aquam miscuisse, sed propria tantum credulitate, quæ, inquit Isambertus, de Sacramento Eucharistiæ loquens, ad quæst. 74. disp. 4. art. 7. in gradu certitudinis est inferior fide catholica. Unde S. Thom. hic quæst. 74. art. 6. ait probabiliter credi &c. Etsi igitur temeritatis notam non effugeret, qui diceret, Christum non miscuisse aquam vino in Calice Eucharistico, non idcirco tamen hæreticus esset: erraret quidem ille, sed non errore contra veritatem revelatam, ac fide supernaturali certam, & definitam. „

Ad IV. dicitur quod Isaias exprobatat

Judæis admixtionem aquæ; quam faciiebant in fraudem eminentium vinum; sicque Isaiæ verba in alium tendunt scopum, quam in nostrum.

Ad V. Chryostomus damnat Aquarios hæreticos, qui solum adhibebant aquam, non autem Catholicos, qui aquam cum vino mixtam offerebant; sicque eum Concilium Trullarum can. 32. interpretatur: *Ipse enim sua Ecclesia, ubi est illi pastoralis administratio tradita, aquam vino miscendam tradidit, quando incurventum peragi sacrificium oportet.*

Ad VI. Cyprianus dicit, esse necessariam aquam, ejusque admixtionem cum vino, sed non dicit esse necessariam eodem modo, & eadem necessitate, qua necessarium est vinum; unde stat, quod vinum sit necessarium necessitate præcepti divini, & necessitate Sacramenti, aqua vero sit necessaria tantum necessitate præcepti ecclesiastici.

Ad VII. Hæc reponit Juvenius in Commentario art. 3. §. 1. „ Calix Domini, tum secundum id, quod significat, non est autem vium solum, aut aqua sola; quemadmodum enim corpus mysticum per farinam, quæ aqua delibuta non sit, non exhibetur, ita nec per solum vinum. Ut corpus mysticum per farinam representetur, necesse est, ut frumenti grana sub una superficie contineantur, ac sibi invicem coadunentur, quod sane sine aqua fieri non potest: ita etiam nisi sub una Calicis superficie, Christus, & Ecclesia contineantur, Calix non erit perfectus perfectione significationis, quamvis perfectus sit ratione rei, quam realiter continet. Audiendus est ipse Cyprianus, quæ enim verbis, de quibus agitur, subjicit, mentem illius non obscure aperiunt, *Quo ipso Sacramento (granorum nempe per aquam sub una superficie conjunctione) populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum conjuncta, & commolita, & commixta, panem unum faciunt, sic in Christo, qui est panis celestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus, & adunatus.*

Ad VIII. dicitur, quod Cyprianus intelligendus est de præcepto, quod referatur ad vinum, non vero de præcepto, quod referatur ad aquam; & hoc patet